



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Reverendis In Christo Patribvs, Et Carissimis Fratribvs, Societatis Iesv In
Provincia Bohemiæ Manentibvs, Transmissa Gratiarvm Actio, A Nicolao
Lancicio, Pro Opusculis Spiritualibus ab eo editis, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

REVERENDIS IN CHRISTO PATRIBVS,
 ET CARISSIMIS FRATRIBVS,
 SOCIETATIS IESV
 IN PROVINCIA BOHEMIÆ MANENTIBVS,
 TRANSMISSA GRATIARVM ACTIO,
 A NICOLA O LANCIPIO,
 Pro Opusculis Spiritualibus ab eo editis, & adhuc edendis.



Volens imitari celebrem illum & eximium Scriptorem Annalium Ecclesiasticorum Cesarem Baronium, Virum Sanctum, qui in Octavo Annalium tomo edidit Gratiarum actionem dedicatam Beato Philippo Nerio, magnorum Sanctorum gloria sublimato, nobilissima & piissima Congregationis Oratorii Romani Fundatori, ac suo Patri spirituali, eò quòd illius iussu, & sæpè iterato impulsu, immò quandoque acri, scripsit & ediderit illos Annales; ego quoque, similem ob causam, mitto vobis Patres & Fratres in Christo dilectissimi hanc Gratiarum actionem, pro Opusculis spiritualibus editis & edendis, cum Superiorum consensu & approbatione. Nam in Vestra Prouincia mihi charissimã, illa scripsi, excitatus & adiutus à Deo, ob vestra merita, & sancta exempla, vt illa apud vos scriberem, & postea ederem. Manens enim per aliquot annos in vestra Prouincia, (ad quam nihil tale cogitans nec optans, concessus, & missus fui ab A.R.P.N. Generali Mutio, id procurante, primum R.P. Martino Santino, moderno Præposito Domus Professæ Pragensis, missò à vobis Romam, ad Congregationem Procuratorum Anno 1628. deinde à R.P. Daniele Kirchner Præposito vestro Prouinciali, vt apud vos essem Instructor Patrum tertij anni) postquam ad vos veni, vbique in vobis vidi valdè magnam & raram esuriem & sitim iustitiæ, hoc est, non vulgaris Sanctitatis, commendatam à D. IESV in Euangelio. Præterea vidi ardentem & sincerum zelum iuandarum animarum in Patribus & Fratribus Scholasticis. Vidi, non tantùm alios Sacerdotes, sed etiam Doctores & Professores Theologiæ ac Philosophiæ Academicos, sine tergiversatione, & vt dici solet, sine repugnantia, libenter omnibus diebus festis audientes in templo pœnitentium confessiones, etiam rusticorum & agricolarum & vilissimarum personarum, sine delectu: & moribundis noctu ac interdum assistentes, extra horas suarum lectionum Scholasticarum. Vidi primarios Patres Doctores & Professores Theologiæ magni nominis, præter alios, publicè in triclinio de se, & contra se, multa dicentes valdè confusiva, iuxta morem antiquorum Sanctorum, non imperata ab ullo Superiore, sed cum eorum consensu sponte prolata, propter amorem D. IESV, qui, vt ait Apostolus, sustinuit crucem, confusione contemptã. Vidi vbique Concionatores vestros plenos Apostolico Spiritu,

& eloquio, ac stylo, inflammantes Auditores suos ad declinanda mala & facienda bona: Vti Spiritus Sanctus per S. Dauidem non semel nos admonuit. Vidi magnam domi concordiam & sinceram dilectionem, tesseram Verorum Christi discipulorum. Vidi paternam charitatem in Superioribus, erga subditos, & Sincera agendi modum ac Suauem, (nullâ acrimoniam & amaritudine infectum) conseruandæ Religiosæ disciplinæ, in omnibus vestris domiciliis præclare vigentis: & maternam providentiam ac sollicitudinem in suppeditandis rebus necessariis, immò & conuenientibus, pro victu & vestitu, & rebus aliis, anteuertentem quandoque desideria & petitiones subditorum. Agnoui in vestra iuuentute domestica magnam puritatem, sinceritatem, candorem, & confidentiam erga Confessarios & Patres Spirituales, & Sanctam importunitatem in exquirendis eorum Consiliis ac doctrinis, pro maiore profectu in virtutibus, & cognitione rerum ad Sanctum Societatis nostræ Institutum spectantium. Vidi in vestro Nouitiatu Brunensi & alibi, aliquot, qui Sanctis vestrae conuersationis exemplis Moti, post auditam Rhetoricam & Philosophiam, & quidam, dum iam essent laureâ Magisterij seu Doctoratus Philosophie, publicè in Academia honorandi & coronandi, impetrarunt, ut admitterentur ad Statum Coadiutorum temporalium receptorum ad domestica obsequia Laicorum propria, quæ summâ alacritate & humilitate eos vidi obeuntes. Inueni in omnibus Ciuitatibus & Oppidis ob religiosum vestrum & modestum agendi cum hominibus modum, & ob non affectata virtutum exempla, magnum valdè erga vos amorem & obseruantiam ciuium & aliorum, ac concursum & frequentiam in vestris templis, tum pro audiendis concionibus, tum pro confessionibus, tum pro susceptione Sanctissimæ Eucharistiæ. Vidi enim in aliquot templis vestris, tantam multitudinem confluentium & communicantium quolibet die Dominico, quanta alibi vix videtur semel in anno tempore Communionis Paschalis. Porrò non inueni in vestra mihi dilectâ Prouincia, nec audui illos defectus qui iudicio SS. Patrum, & testimonio Historicorum, pessundarunt olim quosdam Sacros Religiosos Ordines: Vti sunt Aristocratia, Democratia, Politica domi & foris agendi ratio, Votorum Religiosorum violatio, Promotio ad speciosa Officia indigniorum, nata ex priuato affectu, ommissis longè aptioribus & dignioribus, sed non ita caris eorum Promotoribus. Non vidi patrocina Maiorum quaesita & pensata ab imperfectis ad altiora aspirantibus, damnata à prudentibus Religiosorum Ordinum Præsibus. Non vidi partiales amicitias noxias, sed generalem & communem charitatem erga omnes, excludentem pensationes Promotionum & fauorum, & non inducentem metum in villo vilius iniuriæ vel depressionis sui. His aliisque incitamentis permotus, ea, quæ apud Vos scripsi, vestris meritis adiutus, vobis post Deum & Sanctos, meos in cælo adiutores, grati animi ergò offero. Et non miror quòd tam multis annis hostes externi, tum Prouincias Augustissimis Imperatoribus ac Romanorum Regibus, magnis Defensoribus Ecclesiæ Catholice, & insignibus Promotoribus Sanctæ Fidei ac Pietatis & cultus erga Beatissimam Virginem Mariam, Ferdinando secundo & tertio subiectas, tum vos, tot modis impetant, & in nihilum, ex odio Religionis Catholice, redigere conentur: quia ab Anno 1556. quo à S. Ignatio Patre Nostro Pragæ missi sunt vestri Antecessores, rogatu Ferdinandi primi, Romanorum Regis, & iussu Pauli quarti Romani Pontificis, per hos nonaginta annos, fideliter Sanctæ Romane Ecclesiæ & Reipublice, Vestra seruiuit Prouincia, ac strenuè Domini Dei nostri gloriam, & animarum salutem, promouit: tum aliis modis, tum vita inculpata, ab ipsis quoque hostibus Ecclesiæ agnita, immò in certis occasionibus priuatim ac publicè commendata & honorata. Hanc ob causam tam diu & tam multa patimini. Quia vt bene scripsit Sanctus Cyprianus Martyr. epistol. 58. diabolus Christi aduersarius (& per se, & per suos satellites,) non persequitur, nisi Castra & milites Christi.

sti. Eos querit deicere, quos videt stare. *Et ut ait B. Laurentius Iustinianus in fascic. amor. cap. 11.* Huiusmodi odium, testimonium Sanctitatis est, virtutis decor, innocentiae praeo, pedissequus gratiae, bonorum morum denuntiator, & rationale argumen- tum praedestinationis aeternae. Gaudeat igitur quem mundus persequitur, malorum lingua dilaniat, & diaboli exercet nequitia. Illum enim conatur mundus euertere, quem diligit Christus. Quem vero suo amore Christus efficit dignum, mundi permit- tit tolerare flagella. *Valete & orate pro me.*



† 4

AVCTOR